



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 6. Ætolia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

cupati sunt, quoniam in Occidentem extenduntur, ideóque in sigillo stellam Hesperum præferebant: dicti sunt verò *Ozole* quasi *Olentes*, vel à fluuio in quem defluxit sanies centauri Nessi ab Hercule vulnerati, vel à Pythone serpente qui hîc computruit, vel ab herbâ graueolenti, vel à tumulo Nessi, vnde *Tabes* perpetua defluit, vel à florum flagrantia, vel quod probabilius à vestibibus; utebantur enim pellibus ἀβυσσώτων non *curroies*, neque lanâ vt cæteri Græci, sed corio tegebantur. *Epicnemidj* parentes *Ozolarum* erant, ita nuncupati à *Cnemide* oppido. *Opuntj* dicti sunt ab vrbe *Opunte* Patrocli patriâ; & hîc *Abantes* populos *Pausanias* collocat.

QUALITAS. *Ozolarum* ditio satis fertilis, reliquorum ager asperior, & montibus interscisus.

MORES & POLITIA. Decorum vestibibus, & odore iam satis multa. Turpiter admodum se amabant, & ea sceditas lege compescenda fuit, inquit *Max. Tyrius*. Communes habebant vxores, *Athenæus*. Mortuorum funera conuiujs celebrabant; item apud eos fur excæcabatur, *Heraclides*. Si æger medico prohibente vinum bibisset, & conualuisset morte multabatur, *Ælianus in varijs lib. 2. cap. 37*. Colebant *Mineruam Zosteriam*: sic dictam à *Zonis* ex quibus gladios appendebant.

N V M. 6. *Ætolia, & Ætoli.*

NOMEN. Olim *Ætolia Curetis* dicebatur, & *Hyantis*, postea *Ætolia*, ab *Ætolo* filio *Endymionis*, qui ob eadem fugit ab *Elide*, & eò veniens *Curetas* expulit.

QUALITAS. Versus mare sterilior erat, in Septentrionem fertilis, inquit *Strabo* lib. 10.

MORES. *Liuius* lib. 36. describit *Ætolos*, superbos, vanissimos, beneficiorum immemores, sed bellicosos, quod & innunt epitheta *μεγέθυμοι* Homero, in bello *prompti*, *σπλαγχνόοι* *Clipeati* Euripidi. Vno pede calceati præliabantur, quare *μονοκρήπιδες* dicti. *Maximus Tyrius* eos prædatores inducit, *Strabo* Piratas, qui & eos fundæ auctores facit. Magnificos & semper obæratos eos describit *Athenæus*.

POLITIA. Habuit olim Reges suos *Ætolia*, quorum celeberrimi in fabulis *Oeneus*, & eius filius *Meleager* *Atalantæ* sponsus,

cuius causâ multa bella Caledonios inter, & Pleuronios enata sunt. Deinde Reip. speciem sibi informarunt, diuque regibus Macedoniæ satis animosè restiterunt, videntes suo Concilio quod *Panætolium* dicebant. Sed cum Romanos contempserint à Fulvio Nobiliore domiti, potentiam & animos truces deposuerunt.

N V M. 7. *Doris, & Dore.*

NOMEN. *Doris* à Doro Hellenis filio nomen accepit, vel ut alij malunt filio Deucalionis, quem pater vnà cum aliis filiis emisit ad nouas regiones occupandas, vno tantum secum retento. Hic autem Dorus ad Parnassum montem confidens incolas eius Dore appellauit.

QUALITAS. Regio hæc tota asperior, & montibus interscisa. MORES. Linguâ elegantissimâ vsi sunt, & quæ sola lyra harmoniam temperaret. Bellicosi fuere, atque in galeâ tulere setas equinas, ut viderentur magis terribiles, quare *τετραδεις* ab Homero dicti, non à tribus vrbibus. Musicæ supra reliquos Græcos additi fuere.

POLITIA. Colonias in varia loca sparserunt, Calcedonem in ore Ponti, vbi & cæci dicti sunt quod deteriorem locum elegerint. In Sicilia Syracusas condidere, ut vult *interpres Pindari*, & vrbes ibidem aliquot. Dyrhachium quoque incoluisse tradit lib. 1. Thucydides.

§. 4. *De Peloponneso in genere.*

NOMEN. *Ægyalia* olim dicta fuit hæc regio ab Ægyalo Inachi filio; postea *Ionis* ab Atheniensibus qui eam occuparunt: tum *Apia* ab Apide Rege ut vult *Pausanias*, vel ut *Athenæus* lib. 4. à Pirorum prouentu; quamquam *interpres Theocriti* malit *Pira* dici *ἀπὶ πύργου*; ab ea regione. Demum Pelops ex Phrygiâ huc delatus Peloponnesum nominauit, quasi Πέλοπος νῆσος. Stephanus ait quoque Inachiam dictam esse: Homerus Argos videtur nominare, vel ab vrbe nobili, vel ab Argo custode Inus vaccæ, ut ait *interpres Euripidis*. *Strabo* quoque ex Ephoro tradit dictam esse *Pelafgiam*; vtrum autem dicta sit Pelafgicum Argos, an sola Laconia, discussum leges apud Gerbelium.